

JACOB BALDE

CARMINA GENIALIA (1020 vers)

MUSAE NEOBURGICAE LUDIS GENIALIBUS

FRANCISCO ANDREAE, COMITI DE TILLY, INGENTIS GENII INFANTI...

G1_1 v.1 Vota fluunt, valuere preces. Vagitibus aer
 2 mulcetur, dulcesque fovent sua gaudia cunae.
 3 Personat in tota Franciscus Tillius aula.
 4 Seu Charitum Soror una fuit, Lucinave mundo
 5 debita ; seu potius (potius reor) ipsa resolvit
 6 grande puerperium Juno famulantibus Horis ;
 7 credimus, o Superi ! Quod conspirantibus astris
 8 talem jam pridem monstrarit Cynthia partum.
 9 Saepe Jovi dixit ; nitidos impelle planetas,
 10 stellarumque choros, et mitius utere nimbis :
 11 est mihi, sitque precor formosae Pusio Matris,
 12 stellarumque choris dignus nitidisque planetis.
 13 Saepe Deo belli ; Mavors, gemmata resolve
 14 cingula, et ereptos Dacis morientibus enses.
 15 Est mihi, sitque precor speranda ex principe proles,
 16 cingula, et ereptos dabis huic cum legibus enses.
 17 Saepe Deae Cypriae ; cygnos festina jugales
 18 ad tua frena cita : sancti nam fructus amoris
 19 floruit, et nostrum properans exhibit in orbem.
 20 Dona para, tantae sobolem visura parentis.
 21 O quoties solem soror opportuna monebat !
 22 Lux mea : (nam tanta est erga fiducia fratrem)
 23 omnia cum nostris egeant, scis, semina flammis,
 24 ut vitas animamque ferant ; age frontis honestam
 25 sparge comam meliore die, mithraque serenas
 26 come faces, quali velatum Persis adorat :
 27 dignus enim magno (nomen non addidit) infans
 28 sidere nascetur, multosque merebitur annos
 29 perpetua signare rosa, nulloque domari
 30 tempore : fecundos jam nostro lumine menses
 31 implevi, fecique viam ; scit cetera Mater.
 32 Sic effata, suam Titanis ad oscula bigam
 33 convertit ; modiceque genas distrinxit, et ignem
 34 attigit, ac cornu libato fratre refecit.
 35 Ille inclinatam sua per primordia jurans
 36 caesariem movit, veteres testatus amores.
 37 Ecce, tuos qualis Divum favor imbuit ortus ?
 38 O nostrum, Francisce, decus ! Quo nomine caelum,
 39 quam sanctis Superi curis venerabile pignus
 40 suscipiunt, pronoque omnes simul axe laborant,
 41 ut tibi nascenti charas indulgeat ulnas
 42 natura, et semper devotus rideat aether ;
 43 sacraque concordem jurent ad stamina Parcae.
 44 Agnosco vultum, quem scripsit amoena venustas
 45 ingenio speciosa suo : migravit in illum
 46 cum puris aurora favis : huc gratia secum
 47 transtulit electas comites ; huic addidit omnes

48 delicias virtus, numquam indignata videri.
 49 Blandior iste nitor, quam cujus forma sub undas
 50 fluxit, et in steriles resoluta est fontis amores.
 51 Non etenim faciem Venus hanc effeminat ; aut se
 52 dedecet exundans nimium lepor. Alta puelli
 53 majestas sublime jubar conclusit ocellis :
 54 quos aperit radians, ut jam mandare putetur
 55 quae velit et possit. Frons castigata minarum
 56 illecebras spirat decet et placet. Horror in ore.
 57 Augustusque pudor, gravitasque et pompa ferocis
 58 laetitiae, toto micat ore severa voluptas.
 59 Spectator metuens gaudet secumque volutat
 60 aspectum, grataque tremit formidine visus.
 61 Si licet effari, primi suspiria belli
 62 torquet, et armatas acies ignarus anhelat.
 63 Indolis o mirae specimen ! Cunabula, tamquam
 64 patris sedem agitat, mediique umbracula campi.
 65 Nil loquitur, tamen obtutu satis imperat ipso.
 66 Si foret in castris, sentiret credo tumultum
 67 militis, et galea nutantes supplice cristas
 68 nosceret, et minimis majora repelleret armis.
 69 Nondum equidem quae tela ferat, pro Caesare Divo
 70 ulla manus pugnat ; sed toto in pectore Mars est.
 71 Scilicet ex pueris crescunt exempla virorum.
 72 Paulatim glomerant anni vestigia, nonne
 73 parvus et Hector erat ? Rallaque indutus et ostro
 74 Coram Hecuba Priamoque, sua ludebat in umbra ?
 75 Ille idem tamen et nervos et membra, suasque
 76 decescente toga miratus crescere vires,
 77 mox ferro incubuit, rapidus contundere gentis
 78 Argolicae manes, aliis lusurus in umbris.
 79 Quid ? Quod et Aeacides, qui fortis in omnibus unus
 80 exstitit, exstiterit quoque parvus in omnibus unus ?
 81 Sic narrat Tethys : cum primo vere ruberet,
 82 saepe suum portabat equum, phalerisque superbis
 83 planum iter ingressus plausit, quasi ligneus iret
 84 Mannus, et attractis spumaret arundo lupatis.
 85 Quamquam haud advertens, inter puerilia verba
 86 et lepidos saltus, simulacraque ludicra pugnae
 87 nonnumquam extorsit, sed trunco murmure quendam
 88 Martis singultum, ac magni tamen inscius ausi
 89 terribiles Phrygibus jugulandis vagiit iras.
 90 Usque virum tandem docuit dum fortior aetas
 91 eruere Iliades, belloque implere lacertos.
 92 Talis erit, nisi major erit Franciscus. Ad omen
 93 tot consanguineis circumstipata triumphis
 94 fama facit, stirps haec etenim quemcumque recenset
 95 inter Tilliades, certum est de milite nasci.
 96 Ex pugnis spectantur avi. Diversa pharetra
 97 distinguit proavos : variatis quilibet armis
 98 discrepat. Hic torto vibravit missile ferro ;
 99 ille rudem truncum. Quondam tulit iste sarissam,
 100 Hic pilum ; hic peltam ; hic saxum jaculabile torsit
 101 limitis agrorum : torvi caput ille leonis
 102 exuviasque truces pro scuto et casside gessit :
 103 denique per vexilla duces, per singula retro
 104 proelia , majores reliquos numerare licebit.
 105 His Fortuna nihil, nihil his Fortuna vocatur,

106 certa quibus semper victoria dicitur usus.
 107 Namque ut pugnare est fatum, sic vincere virtus.
 108 Macte puer : dixi, mihi cur videaris Achilles ?
 109 Etsi aetate minor nunc primum intraveris Orbem.
 110 Tempus erit, quando felici saecula cursu
 111 se tibi substernent cupientque ad vota vocari.
 112 Ac primum viridi vernans infantia flore
 113 surget, et in placidae turgebit germina vitae.
 114 Altera mox aetas, laudum immo fertilis aestas
 115 magnanimae secum ducet generosa juventae
 116 semina, et egregiae quotquot virtutis aristas
 117 producet, segetes tot maturabit honoris.
 118 Integra messis erit. Video numeroque, nec ullam
 119 invidiae falcem damni secura timebit.
 120 Ast ubi, quae melior sors est, autumnus adulto
 121 sole calens veniet, cinctusque virilibus annis
 122 firmabit corpus, tunc demum palmite pulchro
 123 pubescet virtus, et dulci turgida musto
 124 induet in veras animal se gloria gemmas.
 125 Quin ubi inumbrabit molli lanugine vultum,
 126 Franciscique genas genitrix Francisca relinquet,
 127 o quibus ! O quantis (liceat modo) nectere votis
 128 ardua quaeque voles ! Nectes quoque, quando decebit
 129 vixque pilum in facie duces, jam castra sequeris,
 130 inque acie pilum duces. Haec tempora vitae.
 131 Tunc vero succedat hiems optamus in annos,
 132 Cum Libyae tellus glacie durata rigebit,
 133 brumalesque nives feret ignibus usta Syene.
 134 Istud adhuc vigili votivum carmen in aurem
 135 dicere Francisco volui. Nunc pusio dormi,
 136 nil moror, et faciles oculos concede quieti.
 137 I nutrix. Cunas quate ; et altera et altera plantis
 138 fulcra movens, placidi rorantes Numinis alas
 139 tange, et temporibus securasingere noctes.
 140 Canta igitur, canta : simul altera et altera plantis
 141 fulcra move. Canta nil fracta voce, vel udi
 142 gutturis obsequio, quasi quid plorabile scena
 143 adgemeret. Sunt surda nimis lamenta, melosque
 144 tale soporiferam nequidquam infuderit auram.
 145 Eia cane ; Alcides ut tantae anteambulo stirpis
 146 in sibi cognatos Heroas nobile robur
 147 meriserit : unde omnis, qui Tillius audit ab isto
 148 sanguine ; is Herculeas cervices viribus aequat.
 149 Eia cane ; in toto quantos tulit orbe labores ;
 150 (audiet ista libens Franciscus) ut antra revulsis
 151 turbarit scopulis, Cacumque in rupe latentem.
 152 Ut spumantis apri dentes, Gaetula que terga
 153 perculerit, stantisque jubae depresserit hastas.
 154 Si non ista placent ; nostri ad certamina Martis
 155 vocali descende via ; ceu classica Praegae
 156 Tillius infremeret Senior. Conivet in umbram
 157 Franciscus, jamjamque parat se mergere somno.
 158 Eia cane ; ut victam Fridericus Regulus urbem
 159 fugerit amisso diadematis ornamento.
 160 Ut per Moldaviae calefactas sanguine ripas
 161 ipse Charon visus fuerit nova transtra parare,
 162 pallentique vado vecturam funera cymbam.
 163 Eia cane ; ut nostra dux tempestate Camillus

164 Tillius unus equos, equitesque, Badensis in Orci
 165 miserit exitium, devotaque regna tyrannis.
 166 Adde quod et Cimbros idem fulgentibus armis
 167 straverit, ac miseros patria damnaverit alga.
 168 Eia cane ; ut (nutrix desiste, atque attrahe velum :
 169 jam satis est. Dormit Franciscus, et otia carpit
 170 tantum assueta deis, ac plenos numine somnos)

ELEONORAE MAGDALENAE TERESIAE, SERENISSIMORUM PRINCIPUM,

G1_2 v.1 Destiterat Diana loqui : cum proxima Divae
 2 incipit Euphrosyne ; quae formosissima vultu
 3 tres inter Charites soror eminent : hactenus armis
 4 indultum est, Regina tuis. Indagine saltus
 5 cinximus, et nemorum peragravimus avia cursu.
 6 Sat campis silvisque datum. Venabula tempus
 7 ponere. Cum telis pharetrae mutantur et arcus.
 8 Retia tendat amor. Princeps Amaelia fessa est.
 9 Quo festivus Hymen, thalami si praemia cessant ?
 10 Invitat sperata quies, migremus in urbem.
 11 Inclinant Triviam : positis quae laeta sagittis,
 12 et leni specie, castigatoque capillo
 13 pulchrior ; indulgemus, ait, pariterque favemus.
 14 Tam mihi, quam vobis praegnans Amaelia cordi est.
 15 Concepit ; scimus, jam nunc opis indiga nostrae.
 16 Quippe tener foetus circum praecordia ludit.
 17 Disseldorpiacam gressum vos tendite in arcem.
 18 Nos, quoniam faciem non unam semper habemus,
 19 jam jam silvestrem mutabimus. Antra, ferasque,
 20 Maenaliisque canes linquo, caelumque reviso,
 21 ad maturandum fecundo lumine partum.
 22 Dixit, et Aglaiae zonam, coryton et arcum
 23 tradidit, inque sui velocior omnibus alis
 24 emicuit convexa poli : confessaque Lunam.
 25 Intravit de more globum, tunc protinus omnes
 26 agnovere Deam stellae : geminique juvenci
 27 cornua torquentem rapuere per aethera biga :
 28 Hesperus accurrens vibrati crinis ephebus
 29 defert obsequium. Minuuntur plaustra Bootae :
 30 debilis ingentem gladium submittit Orion :
 31 et revolans scintillat olor, sentitque coruscis
 32 decessisse nives plumis, vaga lustrat Olympum
 33 Cynthia, et obscurat communia clarior astra.
 34 Dum comites remeant ; per somnum audite, Thalia
 35 inquit, visa mihi. Vidi, aut vidisse putavi
 36 tres Arabum proceres peregrino sidere duci,
 37 Cum medios cursus nox intempesta teneret.
 38 Ibant, divino luxit qua semita signo.
 39 Stipavere viam portantes vasa cameli.
 40 Sed proceres aurum myrrhamque et tura ferebant,
 41 quisque suum munus. Voxque est allapsa per auras :
 42 Tura date et myrrham, pellucidiusque metallum.
 43 Hoc uterum solvens Amaelia tempore, Mater
 44 facta Palatinae carum decus inferet aulae.
 45 Nascetur soboles multum de patre decoris,
 46 plus de Matre ferens, vestras auctura choreas.

47 Interea dulci turgentes pondere menses
 48 sese evolverunt. Eventus visa probavit ;
 49 detumuitque sinus. Resonat vagitus in aula.
 50 Infans pulchra jacet lepidae nutricis in ulnis.
 51 Felix progenies : optato cujus in ortu,
 52 omine non vano regalis stella refulsit !
 53 Nondum te nitido Lucina resolverat ungue ;
 54 publica jam superum dilectaque cura fuisti.
 55 Accurrere Deae propius servire paratae.
 56 Gratia se triplex, alieno nomine sumpto,
 57 largior unius diffudit in ora puellae.
 58 Eleonora suos offert, quos Mantua cygnos
 59 nutrit, et ad parvas transmittit carmina cunas.
 60 A cunis, si Fata sinant, ad sceptrum, torumque
 61 purpureum, et grandes assurrectura coronas.
 62 Certamen, votumque procis immane futura,
 63 quem facies nuptura virum, quem laeta parentem !
 64 Cui rosa liliolo vernans sociaberis olim !
 65 Cujus odoratum flos imbuet iste mariti !
 66 Mantua Caesareas assignat pronuba taedas ;
 67 Fortunamque experta suam non invidet ulli.
 68 Magdalis Assyrio melius depromit olivum,
 69 totum ebur invergens. Hujus tibi copia nardi
 70 ubertim fragrat, quam pyxide fundit aperta
 71 Boica Pasithee. Velata Modestia, Candor
 72 ingenuus, Pax, cana Fides, concordia formae
 73 atque pudicitiae, pietas, suavissima morum
 74 temperies, qualem spargunt virtutis odorem !
 75 Quod sequitur, non me credas recitare, sed ipsam
 76 edere, Cumana quanta est in rupe, Sibyllam !
 77 Sidonios cinctus, et pictas murice vestes
 78 erodant tineae : mergat mare funditus aurum :
 79 Cum variis pereant secreta monilia gemmis :
 80 sed mores aviae nemo de corde revellat.
 81 Haec prudens Matrona fuit : quam Rhenus et Ister
 82 Isaraque et Moenus, vocali gurgite juncto
 83 non possint celebrare satis : licet omnis in undas
 84 despumet Tethys, Nymphaeque a fonte liquescant.
 85 Tristibus ostentis, turbatoque ordine rerum,
 86 praebuit exemplum, valeat quid femina fortis.
 87 Danubium, qua parte suum mutaverat alveum
 88 saevus, et Islebici vitiatus tabe veneni ;
 89 obvia frenatum mulier compescuit amnem.
 90 Dira procellosi fremerent cum proelia fluctus,
 91 errorumque rapax rueret per devia torrens ;
 92 pollutas lustravit aquas : sanctaeque reduxit
 93 intra Teutonicas Fidei commercia ripas.
 94 Ut medio Latius Thybris nunc influat Istro :
 95 et complexa suam teneat Germania Romam.
 96 Tali gnata Patrem debes : quodque ordine sexus
 97 inferior, neptis processeris ante Nepotem.
 98 Sic decuit. Reddit maternae Filius umbrae,
 99 et meritas grates tumulo cunabula solvunt.
 100 Cresce, precor, Phoebi, qui nunc quoque crescere coepit,
 101 formosi radiis, almoque riganda Sereno.
 102 O digna Aurorae gremio, merituraque Lunae
 103 basia, nocturnos quoties instruxerit ignes.
 104 Non opus est Parcibus tibi pensa trahentibus alba.

105 Hoc genus officii cura meliore subibit
 106 dignius Hesperiiis cantata Teresia terris.
 107 Haec Lachesis ridere facit. Mera gaudia filis
 108 nectet, et intextos tramis gemmantibus annos.
 109 Materies operi certat. Flavissima lana
 110 velleris aurati genitoris pendula collo
 111 in tua concedet vitalis stamina telae.
 112 En, jam Diva tuos praeses sibi segregat artus
 113 excubiisque suis : en, dulce Teresia pignus,
 114 tegmen virgineum caelo demisit ab alto.
 115 En, teneras panno violarum imitante colorem
 116 tutatur scapulas. Salve carissima Proles
 117 delictumque novum. Salve gratissima neptis,
 118 exspectata salus. Infantem ordire jocosam :
 119 incipe flexanimo risu mulcere parentes.
 120 Ac, tibi ne frater desit, cum lactea suges
 121 ubera ; poscenti similis vagitibus insta.
 122 Insta : nam fratrem patriae fortuna requirit.
 123 Insta : nam virtus aviae laudata meretur,
 124 et petit ipse Pater, Matrem parere, necesse est.

MUSAE NEOBURGICAE Ludis genialibus ORTUM SERENISSIMI INFANTIS D.D.

MUSAE NEOBURGICAE GENIALES.

G2_1 v.1 At non eventu stant nostra oracula nullo ;
 2 non desperandum, de nobiliore monentis
 3 venturum sexu, mittendum ex aethere nobis.
 4 Successus praedicta probat. Sed tempora Numen
 5 sunt penes : arcanis quod digerit omnia Fatis.
 6 Ut quondam Hippomenes Atalantae terga secutus
 7 corripuit gressus, fugientique institit haerens :
 8 prendit adhuc unam natus Puer ecce puellam
 9 seu stimulus, seu primus odor dicatur amoris,
 10 seu fomes : genii certe magnetica vis est,
 11 Naturaeque lepor. Fraterculus ecce sororem
 12 debitus (et primam) vagitu dulce lacessit :
 13 haec fratrem salvare jubet Stant carmina vatam :
 14 et matres parere, et matres parere necesse est.

G2_2 v.1 Respice de celsis mortalia Magdalis astris,
 2 respice in hoc stadio vincentem rite Nepotem.
 3 Praeripit et palmam : maribus quia debita prima est.
 4 Nunc exhausta vides cum foenore jussa jacentis
 5 funereo suprema toro. Nec inutilis umbra est :
 6 et Manes sua jura tenent. Mandata sub ipso
 7 parturiunt tumulo. Functae quoque nascitur heres.
 8 Hos pietas fructus, aviae transmittit in ulnas :
 9 hos devota Nurus dilectae consecrat umbrae.
 10 Tam desideriiis moriens fecunda fuisti ;
 11 quam votis pretiosa tuis. Ne virgo maneres,
 12 Causa fuit Romana Fides. Hac dote profanam
 13 emisti gentem. Quandoque et pronuba possunt
 14 flammea, virgineam meritis transcendere ceston.
 15 Rebus in humanis series alterna resultat ;
 16 ordine quaeque suo. Terras Marianna reliquit :

17 alteraque insequitur. Geminae cessere Sorores,
18 et fratri fecere locum. Leonora remansit :

G2_3 v.1 Haud procul urbe sita est gratos aestatis in usus
2 villa duplex ; circum silvis incincta reductis :
3 qua ruit Anglipolim versus spumiosior Ister.
4 Altera venantum : pecoris domus altera custos.
5 Utraque delictum Domini. Dependet ubique
6 plurimus Actaeon : monumentum vindicis irae.
7 Cuncta virent : nomenque locus trahit inde canorum.
8 Utque ratum maneat ; fertur sanxisse Diana.
9 Nam cum trans fluvium Triviae dilecta Lycaste
10 tenderet insidias cervis : decurrere Faunus
11 vidit, et incaluit : tactusque cupidine formae
12 institit a tergo. Caprum fugit illa citatis
13 passibus. Atque, juva pro virginitate timentem
14 Diva triformis, ait. Juvit quoque Diva triformis.
15 Prensa prope in ripa, subito delata fuit cis.
16 Utque stetit florente loco, florescere coepit.
17 Ipsa quoque : alba prius faciem rubicundaque malas,
18 tota repente virens apparuit : atraque eundem
19 taenia cum peplo, et vestes traxere colorem.
20 Nomine mutato Chloris Grienavia dicta est :
21 Augeae viridis retinens per saecula nomen.
22 Nec cultu vacuo, tituloque exsultat inani.
23 Quidquid enim manibus gaudet contingere ; vernat.
24 Si tangit glebam ; glauco mutatur amictu.
25 Arentes ramos, effetaque robora vidi
26 depositis, sic ut Botanen, pubescere canis.
27 Submotis adeo Faunis quoque lucus ab illo
28 tempore perpetuum castus, vitatur ab hircis :
29 castaque securae jungunt consortia Nymphae.
30 Sponte sua Tellus, nullo sudante colono,
31 in varios frutices, et olentia germina turget,
32 incumbunt piceae fagis : assibilat orno
33 fraxinus : et grata quercus caligine terrent.
34 Omni fronde super frigus captabis opacum
35 cum reliquis liceat, solus non Sirius audet
36 Hic latrare canis. Nec, si latraverit, aestum
37 propterea cures. Arbustis improbus ardor
38 frangitur, excludunt rapidos umbracula soles.

G2_4 v.1 Hinc lapidis jactu distat Soror unica Syrinx,
2 ipsa quoque, eluso Satyro, mirabile fatum
3 Arcadii subiisse datur Ladonis ad amnem,
4 in calamos mutata leves. Mox fistula Phoebos
5 pastori placuit, post Daphnem semper amata.
6 Reddidit is formam, servato flore, priorem.
7 Sic iterum Nymphae, sic, quae fuit ante, puella,
8 tot Faunos inter formidans damna pudoris,
9 Dianae comitata choros transfugit ad Istrum.
10 Principis hic curat numerosa armenta, gregesque
11 pinguibus in campis, ubi mollia pabula surgunt :
12 villicae vicinas sollers Amaryllidas inter.
13 Sed ne prodatur vultu meliore, petulcum
14 Pana latere volens, passim Rorefelda vocatur.
15 Copia laeta boum : par est proventus equorum.
16 Hinnit ager, mugitque nemus, fecunda voluptas.

17 Juppiter Europae raptor trans aequora vectae,
 18 creditur hic formam, sub qua decepit adulter,
 19 deposuisse bovis. Prostant immania visu
 20 corpora, terribiles vaccarum torva mariti
 21 attollunt capita, et radunt palearibus arva.
 22 Ipsae autem nitidae distendunt ubera matres.
 23 Pascua fetura, mulctralia lacte redundant.
 24 Sedibus his habitat dictum par mite sororum :
 25 hinc Rorefelda boves, illinc Grienavia servos,
 26 auxiliante manu, communi foedere pascens.
 27 Non ego Taygeti colles, Tyburque superbum
 28 praetulerim ; et multum debens Praeneste poetis.

G2_5 v.1 Cum nono decimus tacite serpebat aprili
 2 mense dies : memori colitur quo mortuus olim
 3 mente Deus : sanctaeque Crucis mysteria fulgent.
 4 Convenere Deae. Junguntur ad oscula dextrae :
 5 inque vicem alterno demittunt lumina visu.
 6 Sic quondam Cererem Cybele veneranda salutatur.
 7 Altera, sarta gerens inclinatur, et altera turrem.

G2_6 v.1 Tunc in verba dolens sic os Grienavia solvit.
 2 "Cara soror, quoniam usque herede orbabimur ambae ?
 3 Non sunt assuetae sceptris muliebribus urbes.
 4 Paremus maribus reditum ducis omnia narrant.
 5 Gratantur cives. Equidem gratarum et ipsa :
 6 Si vultum referente patris cum prole rediret.
 7 Finge : quod avertant producto stamine Parcae ;
 8 ad Superos fato functum migrare Philippum :
 9 Augustumque sequi : cujus duo pignora Letum
 10 ante diem jam nunc rapuit, ceu lilia messor.
 11 (Frater apud Suecos inimicam surgit in hastam :
 12 Lutheroque ferox et ferrum vendit et iras.)
 13 Quis viduis tandem succedet sedibus hospes ?
 14 Cui Domino coget novitas parere relictas ?"
 15 Exoriare aliquis Wolffgango Principe Natus :
 16 Templi sacerdoti, templis qui servet honorem,
 17 Pontificum decreta colat, Thybrimque regentem ;
 18 et Pa. Scatoris mitrati limen adoret.
 19 Anne revolvemur furiis gravioribus actae
 20 in chaos antiquum ; Lernamque et stagna Genevae !
 21 Scilicet ut rostro strepat et bipatentibus alis
 22 inter Romanos Islebius anser olores !
 23 Ut virtus solio pellatur : inustaque tergo
 24 foedent ingenuas Calvinii stigmata frontes !
 25 Caelicolae prohibete nefas, arcete profanum
 26 exosumque genus, totoque avertite luco.
 27 Ante, tuam quam Roma Fidem, montesque relinquam ;
 28 quos septem geminos omni vigilantior Argo,
 29 Magnus Alexander custos stellantibus implet
 30 excubiis, cingitque, et totum temperat Orbem :
 31 Spiritus hic Stygias eat extenuatus in auras.
 32 Noster erit murus Capitolii immobile saxum.
 33 Non Augia virens, famosaque gloria silvae ;
 34 sed stabulum Augiae malim, Caciique caverna ;
 35 quam sedes antiqua ducum Grienavia dici.
 36 Hinc gelidus Boreas ; hinc turbine verberet Auster :
 37 incussum Petri latus acclinabo columnae.

38 Hic, aut nulla salus. Tandem succurre ruenti
 39 o patriae Virgo : cujus sine conjugis usu
 40 intacti tumuere sinus ; et viscera partu
 41 auctorem fudere suum : succurre roganti,
 42 et miseros depelle metus. Da sanguine pulchro
 43 censeri sobolem Guilielmi in nomen ituram :
 44 spem justam sublimis avi. Da masculus heres
 45 obveniat nobis : et mascula thura feremus ;
 46 Inque tuos cultus Arabum incendemus odores.
 47 Sin aliter statuis, nec habent mala Fata regressum :
 48 nil moror ; Odrysii veniant Geticique tyranni.
 49 In medios ultro curram moritura Gothunnos.
 50 Vocibus his penitus nemora intonuere profunda.
 51 Hactenus : et lacrimis vultus maduere profusis.
 52 Vix tacuit : lacrimae virides vertuntur in herbas.

G2_7 v.1 Adgemuit Rorefelda Soror : percussa que pectus,
 2 et lacerata comas, frontemque obducta reponit.
 3 Vera, Soror, questa es. Nimis, ah, nimis omnia vera,
 4 numen si nobis nullas accommodat aures :
 5 cui paror infelix, jumentaque bucera pasco !
 6 Cui pressi ac liquidi servatur copia lactis,
 7 hinnitusque meus ? Tristes cogenda sub usus
 8 exsecror Hipponam. Steriles procumbite tauri.
 9 Aeripedes potius, quos debellavit Iason
 10 proflantes fumum, Colchis Medea reducat.
 11 In saevos Diomedis equos, Phalarimque ruamus.
 12 Praestat enim Siculi costas intrare juvenci.
 13 Finierat ; rapido clausit suspiria fletu.
 14 Ac si mugiret, clamores edidit altos.

G2_8 v.1 Forte illac proni sub prima crepuscula Phoebi,
 2 Bittenbronna fluens cursum contendere visa est.
 3 Ista Palaestinas fortunatissima quondam
 4 inter habebatur matres, felixque manebat
 5 unigena vivente suo. Post ejus atrocem
 6 occasum, et toto perfusam sanguine mortem ;
 7 stans primo, in lacrimas resoluta sub arbore malo ;
 8 denique in amplexum gnati cum Vespere vergens
 9 consedit : luctu liquidum stillante dolorem.
 10 In fontem mutata sacrum. Fons vulnere quino
 11 labitur : irriguae potanti vena salutis.
 12 Sed, miserante Deo, rursus sua gaudia Natum
 13 a tumulo reducem, vitamque animamque recepit.
 14 Nunc Dea Regina est, nunc est Regina Dearum.
 15 Hunc tamen ad fontem, dilectae sedis amore,
 16 aethere dilabens incognita saepe revisit.
 17 Tunc quoque visebat pulcherrima Neptunine.

G2_9 v.1 Ergo ubi contiguas liquido pede contigit undas :
 2 audiit hos questus, didicitque ab origine causam :
 3 "Mittite sollicitum tristi de corde pavorem ;
 4 parcite lamentis : dabitur, quod poscitis," inquit.
 5 "Orbandumne tori fructu vel honore putatis ?
 6 Qui me supplicibus ceris, qui messe Sabaea,
 7 argentoque colit, cumulatque altaria donis.
 8 Saepe pedes nostrum fontem dignatur adire.
 9 Saepe coronatae procumbit cernuus arae.

10 Fidite : nam nocte hac voti damnabitur Heros
 11 magnanimus. Commenta loqui ne vana putetis :
 12 Iridis in speculo vestram cognoscite sortem."

- G2_10 v.1 Protinus in caelum vultus tollentibus ipsis
 2 roscida signatur nubes : arcusque pependit
 3 discolor ; et qualem varia Thaumantias ornat
 4 Junonis penna, Dominae studiosa placere
 5 Junoni. Propriam tanti facit illa volucrum :
 6 ex quo oculis centum truncati impleverat Argi.
 7 Curvabatur enim violis, multoque renidens
 8 imbre croci, variisque rosis infectus, et ostro.
 9 Hunc super institerat vultu Matrona verendo,
 10 pignora bina ferens, pulchro, sed dispere sexu :
 11 dispere, sed pulchro. Qualis Latona gemellos
 12 fingitur hinc atque hinc, Delo mirante, tulisse.
 13 Intendere aciem. Juvat usque hoc pascere visum
 14 ostento : propiusque admotos nosse colores.
 15 Interea ad fontem pia Bittenbronna refluxit,
 16 impressitque sui vestigia certa doloris.
 17 Flos granadillus erat. Quem mox Rorefelda levavit.
- G2_11 v.1 En, digito monstrant, Dea quid fontana, quid Aether
 2 vix ea : cum placido sensim Matrona volatu,
 3 aligerum corpus picto libravit ab arcu,
 4 Inque Philippinam se laeta recondidit aulam.
 5 Aulam : qua non est Germani latior Orbis.
- G2_12 v.1 Obstupuere ambae. Sequar, o sequar omina tanta :
 2 seu vir, seu mulier, seu quidquid es, inquit, et una,
 3 campestris quassans calamos Rorefelda, memorque
 4 nominis ipsa sui, modulatur arundine carmen :
 5 seque probat cantu veterem Syringa fuisse,
 6 post Daphnem Phoebos pastori sem per amatam.
 7 Nec laetata minus soror altera : crescite silvae ;
 8 jungite concordem frondentia brachia fagi :
 9 populeaeque manus alni fastigia tangant.
 10 Cum capreis apri, cervique impune vagentur.
 11 Ascanio praedam servent venabula nostro.
- G2_13 v.1 Interea sensim Nox in sua regna subibat
 2 astrigeris invecta rotis. Vaga nubila currum,
 3 noctivagaeque faces, et blanda obliviae rerum :
 4 et pacata Quies, abigensque protervia curas,
 5 et surdi Manes, mutisque silentia linguis :
 6 quaeque soporifero medicata papavere languent
 7 otia : tum Somnusque et Somnia vana sequuntur.
 8 Hic Luna, ut vidit Dryades discedere velle :
 9 postquam sex clivos medii superarat Olympi ;
 10 caeruleum removens peplum de fronte bicorni,
 11 nubibus e mediis argentea protulit ora.
 12 Tunc sic alloquitur : geminae salvete Sorores.
 13 Illa ego sum : quae, cum moreretur in arbore Numen :
 14 et scopuli tremarent, excirenturque sepulcra ;
 15 omniaque auctorem scelerata caede peremptum
 16 lugerent elementa suum : (mea sidera testor)
 17 Cynthia nigranti faciem velamine tecta,
 18 sanguineo cum fratre steti, radiosque retraxi :

19 eque die noctem feci. Felicior ista
 20 Nox oritur vobis. Optatum nuntio partum.
 21 Tandem exspectatus votis communibus heres
 22 Natus adest : qua per Rhenum se Dissela differt.
 23 Incluta jam festos erexit clivia plausus.
 24 Ipsa polo delapsa fui, puerumque resolvi
 25 ex utero Matris : nullum ut discrimen adiret.
 26 Quae ferat insignis Puer alto e nomina caelo :
 27 discite. Continuo sidus regale resumpsit :
 28 consuetoque globo residens ; sic ille vocatur,
 29 inquit : et ad numerum fulgoribus aethera pinxit.
 30 Aether puniceus junctis inscribitur astris,
 31 consertisque micat. Legitur Guilielmus in illis
 32 Dux novus. Effundit miros ignatius ignes.

G2_14 v.1 Aspiciunt, mirantur, amant. Dulcissime salve.
 2 Utraque conclamat, stellis signate serenis
 3 pusio, magnanimi proles generosa Philippi.
 4 Fari plura vetat : neque enim est mora libera Lunae
 5 ad cursum intentae. Jam vanescebat Orion :
 6 jamque fatigatus plaustris instare Bootes,
 7 flagra minabatur, siccisque Trionibus aequor :
 8 ni parere velint. Mare cetera castra subibant
 9 astrorum, et rapida vertigine mersa cadebant.
 10 Ergo Dea : urgemur ; nobis ignoscite, dixit.

G2_15 v.1 Urgemur : tamen haec : Melioris signa reversae
 2 cernere Fortunae si vultis : principis arcem
 3 aspiciate : (admovit propius candentia late
 4 cornua, et arrecti totum jubar extulit astri)
 5 culmina quae tecti, tactumque a fulmine nidum
 6 invitata licet multis vitaverat annis ;
 7 nimirum hoc reperit, crepitatque ciconia rostro,
 8 (casu plaudebat crepitante ciconia rostro)
 9 ut longum flectit collum, placideque retorquet !
 10 Ut visa mox plaudit ovans et compare gaudet !
 11 Ut paribus ventos alis metitur et auras !
 12 Terdent invisum jam stagna lacusque venenum.
 13 Purgabuntur agri : minuetur noxius anguis.
 14 Adde : quod haec avis est mirae pietatis imago :
 15 natorum in patrem, patrisque in pignora, natos.

G2_16 v.1 Dixerat : et biga corpus splendente recepit :
 2 luminaque, et cornu solitas convertit in oras.
 3 Dum vehitur, demptum rutilo de vertice crinem,
 4 concutiens illustre caput projecit ab axe :
 5 ambarumque sinum tangens, haec addidit ore.
 6 Nympha duplex : cum se portis effundet apertis
 7 majus, et ambrosios ornabit Flora capillos :
 8 Arce Nova, totam praecingite frondibus urbem :
 9 pompaque ducatur. Populi longissimus ordo
 10 per plateas vadat : tuba, buccina, tibia, sinistra
 11 suspensas teneant aures : sacrisque peractis,
 12 noctis ad ingressus epulari cena tumultu
 13 ferveat : et longis producta charistia mensis,
 14 tum salii vibrent ignes, incendia pictas
 15 illustrent tenebras, variis distincta cylindris.
 16 Post ea Luna boves tanto properantius ursit :

- 17 correctura moras cessataque tempora cursu.
- G2_17 v.1 Jam ver constiterat : plenisque invecta quadrigis
 2 Chloris inumbrati ludebat imagine campi.
 3 Induerant ramos excusso frigore silvae :
 4 prataque turgebant nova pubescentibus herbis,
 5 per virides diffusa toros. Grienavia noctu
 6 sedula clam plaustris, sed inobservata, citatis
 7 ingentes piceas fagosque vehebat in urbem.
 8 Urbs vestita fuit. Lucum te intrare putasses.
 9 A templo coeptum est ; Divo lucente Philippo.
 10 Vivat, io, vivat : cujus fert nomina, vivat.
 11 Intonuere chori : misto clangore tubarum,
 12 mane resultantes heroica tympana plausus
 13 auxerunt pulsata. Sonus fuit ipse triumphi.
- G2_18 v.1 Sol inclinabat. Populi longissimus ordo
 2 per plateas ivit ; procerumque ornatus agmen :
 3 omniaque arboribus ridebant compita fixis.
 4 Aera sonant, tormenta tonant, iterata resultant
 5 classica : perque auras crispo ludentia fluctu
 6 signiferi vexilla levant. Seges ardua ferri
 7 dimicat : erectis tremulus nitor incubat hastis.
- G2_19 v.1 Vesper anhelabat : toti incubuere tremendo
 2 insuetoque epulo. Fluxerunt vina per ora,
 3 ac si pampineis protrusa e fontibus essent.
 4 Plebs quoque cum dominis, mox palmite saucia multo,
 5 accubuit, cuivis liberrima stabat amystis.
- G2_20 v.1 Tempore quo Gades Titan proclivior intrat,
 2 Oceanumque subit ; fervebant orgia late.
 3 Splendescens tunc Aetna sequi : tunc dolia sulphur
 4 evomere atque picem : mediumque incingere gyro
 5 inflammante Forum : totusque accenditur Aether.
 6 Erexere faces cristas per nubila raptae,
 7 In varias circum spiras : alioque rotatis
 8 sibila serpentes flatu fumosa dederunt :
 9 anguipedes pyrio suffusi colla veneno.
 10 Scintillant centeni apices, jaculabile pondus :
 11 et ramosa vagae spargunt incendia taedae.
 12 Tum vapor erumpens, stridorque ignescit, et aer.
 13 Et spatio longas extendens scorpius ulnas.
 14 Flagrat grande cavum. Saltantes fumida circum
 15 dolia deformis atro carbone Cyclopas
 16 vidimus, everso miscentes dolia fundo.
- G2_21 v.1 Est locus adverso paullum seductus ab Istro,
 2 limitis exigui, bifido brevis insula tractu
 3 fluminis emergens. Vetus est Besithea nomen :
 4 collibus in cuneum frondosis undique saepta ;
 5 herbosumque situ pulchro molita theatrum.
 6 Princeps compositis rebus, Rhenoque relicto,
 7 cum patrias repetit terras, vehiturque carina :
 8 excipit occursum reducem Besithea primo,
 9 hinc exaudito strepitu, visisque favillis,
 10 quas volucris nebula sparsit memorabile bustum !
 11 Faunisque Satyrique egressi saltibus illis

12 convenere, ingens numerus, duo cornua pinu
 13 praecinctorum, et salicum ramis. Placet his quoque flammis
 14 accelerare novas, pedibusque applaudere motis.
 15 Ergo ad festivos ignes agitare choreas
 16 incipiunt. Spectant alii, thyasumque coronant.
 17 Succedunt Dryades saltatricesque Napaeae,
 18 Argolicis Phrygiisque modis ad plectra lyrasque
 19 edoctae variare gradum. Dum fulgurat aer
 20 missilibus jaculis, vivoque bitumine tinctis
 21 orbita canescens late discriminat agros :
 22 concursus populi turboque operosus ovantis
 23 crescit, et obnixa stipant examina coetus.
 24 Maxima pars pompae, gratus fuit ipse tumultus.
 25 Tunc alacres animi vino : tunc corda salire
 26 altius, et tremulo crispari sanguine venae :
 27 intimaque extendi longis praecordia votis.

G2_22 v.1 Accepit sonitum curvato gurgite prostans
 2 Danubius : plaususque ut caussa infusa resedit
 3 auribus undosis : laetatus et ipse natantes
 4 excivit Nymphas. Currunt ad gaudia patris
 5 Naiades : Tanopeque, Anthisque, albumque colorem
 6 Leucothoe referens ; Dryopeque domestica quernum,
 7 et cum Callirhoe non illaudata Pherusa.
 8 Pars pedibus vitreis plaudunt ; manibusque recentes
 9 verbenas jaciunt plenis : pars cominus ante,
 10 pars et pone natant ; fluctusque impellere gaudent.

G2_23 v.1 Vulcanus veteri dudum haec prospexit ab arce :
 2 incessitque animum ludendi mira cupido.
 3 Ergo globum ardentem medias projecit in undas.
 4 Est genus amphibium (Graei dixere pyropos)
 5 ferrea secreto stipantur sulphure mala :
 6 atque ideo multum petulantis habentia flammae.
 7 Mulciber, ut perhibent, Venerem ducturus in Aetnam
 8 invenit : reseranda novae spectacula nuptae.
 9 Nil magis ad votum est oculorum, humentibus aequae
 10 ac siccis gaudent : terraque marique vagantur.
 11 Aetatem degunt in aquis ; iterumque repulsas
 12 eluctantur aquas, mergorum more volucrum.

G2_24 v.1 In medio lusu talem ex Tritonibus unus,
 2 ut longas aures fissus, sic naris obesae
 3 excipit incluso saturatum pulvere discum :
 4 miraturque manu versans, atque oscula figit :
 5 Quippe intestinum ratus exspirasse furorem.
 6 Falsus erat. Redit ad stimulos vis insita nitri,
 7 Ingeniumque suum ; ruptisque anfractibus ardet.
 8 Dissiliente pila rictus invadit hiantes
 9 semiferi, ac foede lacerat, lacerosque cruentat.
 10 Hispida barba flagrat : crepitant sub vulnere malae ;
 11 dentibus excussis septem, cornuque sinistro.
 12 (Quinque vacillantes juncto mansere molari.)
 13 Tum vero horrendum frendens ululare dolensque,
 14 et laesum mersare caput stridentibus undis.
 15 Frustra. Nam piceae funes in crinibus haerent.
 16 It caelo risus. Fremit area tota cachinnis.
 17 Exin ludibrium Nymphis et fabula Triton

18 factus, anhelantes plagas, deformiaque ora,
19 ut fugeret sannas, fluviali condidit ulva.

G2_25 v.1 Postera vix Eos tenebris os extulit alnum.
2 Ornatu jam cincta novo Grienvia rursus
3 dilectae notum Rorefeldae limen adibat.
4 Caerula vestis erat sparsis in retia rhombis
5 contexta, et fluitans. Sedit, pulcherrima quanta est,
6 In medio Diana sinu, fulgente pharetra
7 venatrix, et tela gerens rorantia tabo.
8 Laeva parte nepos Cadmi jam cornibus auctus
9 cervinis. Quam vis teneat venabula, verum
10 esse putes cervum videas instare molossos
11 mordentes limbum pallae. Sed Pamphagus alte
12 subsilit, et telam siccis latratibus urit.

G2_26 v.1 Nec Rorefelda minus visendo incessit amictu.
2 Auro torta chlamys. Filis illusus ut album
3 Neptunus producit equum, terramque tridente
4 percutit haec, lana est mentito gramine densa :
5 a ferrugineo splendet sub tegmine cuspis.
6 Picta quoque Europa est. Portatur Agenore nata
7 a Jove per pontum falsi sub imagine tauri.
8 Virgo timet : byssusque facit diluta timorem.
9 Pallentesque genas posses fletumque notare.
10 Hoc habitu effulgent, et mutua gaudia produunt.

G2_27 v.1 Incepere loqui. Soror o gratare sorori,
2 orditur Rorefelda prior. Nos vero beatas !
3 Quas oculis tandem mitis Deus aspicit aequis.
4 Dum votis precibusque piis instamus ad aram :
5 mittitur e caelo fortunatissimus heres.
6 Vera mihi vates o Bittenbronna fuisti :
7 vera fuit Phoebe. Nostra, clamavimus, olim
8 parvulus Aeneas saltem Si luderet aula.
9 Dulcis Iulus adest : pulchro qui vendicat ortu
10 praereptas Leto cognatas quattuor umbras :
11 Inde duas, atque inde duos. Compensat in ipso
12 temporius puncto : quo perculit improba cunas,
13 Morsque ferox sobolem maternis abstulit ulnis.

G2_28 v.1 Sic se Fata ferunt diversis nexa catenis :
2 altera subjungit viridis Soror ore deserto.
3 Tristia succedunt laetis, ac laeta vicissim
4 tristibus. Adventu solis divisa recedunt
5 nubila. Purgatur telis radiantibus aer
6 squalidus : et tenebras illapsum discutit astrum.
7 Quique volutarunt vastos ad litora fluctus,
8 In caveam redeunt venti. Sine montibus altis
9 plana nitet facies iterum maris : unda recumbit
10 molliter, et stantes placide sedere procellae.
11 Sic neque maerorem totae damnatur in omnem :
12 nec risus semper captivaque gaudia marcent.
13 Ecce Palatini jam personat aula Philippi
14 grato vagitu : lacrimasque abstergit amaras
15 Mater Elisa tibi : rapto quam pignore nuper
16 straverat in luctum, vestesque induxerat atras.
17 Exsulta Rorefelda : parens Amaelia facta est

18 praedulcis pueri. Pars ad me pertinet hujus
19 laetitiae : partem primam Soror optima carpis.

G2_29 v.1 Illa refert : totum pertentant gaudia pectus.
2 Nullius sumptus jam paenitet atque laboris.
3 Jam scio, cui tot equos pascam, pinguesque juvencos.
4 Dixit et inflavit cannam, Dryadesque vocavit
5 ad choreas. Nec laeta minus Grienavia cornu
6 accinuit. Triviae fuit hoc mirabile donum.
7 Accepisse putant : mixtam quo tempore Princeps
8 instauravit agens cretaque lutoque tenaci
9 salsuram ; miris incoctamque artibus offam,
10 cervorum illecebram. Stabant tentoria campo :
11 intus symposium Baccho plenum atque Diana.
12 Quae, quia culta fuit, munus caeleste reliquit :
13 dictamnum, cultrumque, atque hoc resonabile cornu.

G2_30 v.1 Talibus intentae studiis dum plurima miscent,
2 urbe redux Amaryllis adest, quae dicitur Echo.
3 Namque ultro citroque means, quae ferre jubetur
4 ad dominas, quoties nemoroso ex colle vocatur,
5 fida ministerio responsa novissima perfert.
6 Narcisso quondam, nunc harum dedita votis,
7 ancillae quoque munus obit. Quid agatur in urbe.
8 Visere missa fuit. Cum plausu garrula Virgo
9 cuncta refert : plenas taedis arsisse plateas :
10 malleolis jactas volitasse ad sidera flammis ;
11 confertoque foro tonuisse curule metallum :
12 spirasse undantes mediis crateras in armis.
13 Praeterea narrat : quantos surrexerit Ister
14 In saltus : narrat casum Tritonis adusti :

G2_31 v.1 Denique per campos centum discurrere Faunos :
2 quos inter vestro qui vim voluere pudori
3 inferre, et sacrum capiti subducere peplum.
4 Unum Marcolphum turpi cognomine gentis,
5 Rabasten alium Rabasto a patre vocari.
6 Arrexere aures Dominae : laudataque serva est.
7 Sensit enimvero foedum Grienavia probrum
8 acrius. Intumuit, totoque excanduit ore.
9 Atque ita, siquid heram, dixit, mea respicis Echo :
10 flecte retro cursus, et nostro nomine ab Istro
11 expete vindictam. Nebulones puniat istos.
12 Vix vocem effudit : mox vocis imago resultat
13 Danubii in ripa ; peragitque novissima verba.

G2_32 v.1 Pergit deinde ferox : semperne impune feremus.
2 Hoc genus obscaenum, Sileni et Patris Iacchi
3 sacrilegos comites, nostrum ut praedentur honorem !
4 Nulla pudicitiae cura est secunda per ipsos.
5 Non Pholoe, non Lotis erat super arbore tuta.
6 Insidias et ubique struunt ; et in omnibus antris
7 observant vigiles. Quot non pressere Napaeas,
8 dum fessas posuit sopor : haerentemque coronam
9 detraxere comis ! Vix nos quoque fugimus unguis.
10 Sed cinctam me silva prius viridesque capilli
11 destituant ; quam dulce decus nomenque pudicum.
12 Vel Jovis et Phoebi tamen aversarer amores

13 oblatos : nullique gero tractabile pectus.
 14 O Soror, hanc nostri gemmam tueamur honoris.
 15 Crede mihi, non dos praestantior altera Nymphae,
 16 quam pure radians in casto corpore mens est.
 17 Bittenbronna quidem Mater fecunda, sed audit
 18 Virgo simul. Sexus florem collegit utrumque.
 19 Libertas quam grata sapit ! Quid durius arctis
 20 conjugii nodis est, flebilibusque capistris ?
 21 Libera turba sumus, nullisque obnoxia vinclis.
 22 Pascua tu curas. Quid ego ? Mea Maenala lustro.
 23 Haec demum felix, haec est laetissima vita.
 24 Adde puerperii fremitus, miserumque pavorem.
 25 Tam facili nixu, quam nostra Amaelia, matres
 26 non omnes pariunt. Non omnes nempe merentur.

G2_33 v.1 Sed jam comprehensi, sicut Grienavia jussit,
 2 nobile par, Satyri dederant in flumine poenas
 3 Rabastes capripes cum cornigero Marcolpho.
 4 Principio : ut rigidus Judex Minosque severus
 5 inter caeruleos Ister, damnavit utrumque :
 6 deque gradu vel semideum dejecit utrumque.
 7 Cornibus, aurunco spoliatur et auribus ambo :
 8 (Tritoni misero, qui nuper adusserat ora,
 9 et barbam, praeda aurunci donatur haberi.)
 10 Insuper et cauda. Vix Marsya vilior illis.
 11 Structus erat torto fluctu niger arcus aquarum.
 12 Ter supra rapti (tormenti forma !) Ter infra.
 13 Ter latus in geminum tracti : ter pone, ter ante,
 14 ludibrium et risus populo rhonchusque fuerunt.
 15 Tum penitus mersi decies ter, et amplius, undis.
 16 Scilicet ut foedum restingueret unda calorem ;
 17 lascivumque pecus vel sic dedisceret olim
 18 esse salax. Heu me ! Quatit aeger anhelitus artus :
 19 gurgiteque effuso rorant saetaeque pilique.
 20 Cum gemitu fessi torrentem gutture rauco
 21 ejectant haustum. Spondent, veniamque precantur.
 22 Rabasten asinus, sed ligneus, excipit unco.
 23 Marcolphus super haec transcribitur : adque metalla
 24 Taurica damnatus (sunt montis viscera Tauri :
 25 Tauricaque est vindex, ara fumante, Diana)
 26 Taurorum in stabulum Rorefeldae flebile munus
 27 mittitur : infelix ut ad omnes serviat usus,

G2_34 v.1 Echo laeta redit ; atque ordine singula pandit.
 2 Exsultant Dominae, rident, poenaeque fruuntur.
 3 Tum spatium, qua fert nemus interiore recessu,
 4 per varios flexus, aequatis passibus intrant.
 5 Hic laxant animos variis sermonibus, et se
 6 circumagunt. Juvat usque loqui de laude puelli
 7 natalique die, reliquumque insumere tempus.
 8 (Instat, et a tergo comitatur amabilis Echo.)
 9 Incipe parve Puer formosis solibus uti.
 10 Jam tecum tepido formosius aequore loti
 11 jucundique dies redeunt. Jam lotus es ipse,
 12 congenitam veteris labem deteresus Adami.
 13 Aetatis ver mite tuae, primamque recentis
 14 Auroram vitae Zephyrus redolentibus Horis
 15 induat ; et phaleras lucis circumdet adulto

16 majoreis : donec dignus Patre prodeat annus,
17 dignus avo. Genitor poterit te plura docere.

G2_35 v.1 Ille Paraetonium Pelusiacumque caballum,
2 seu quemcumque dabit Baetis, vel nobilis Astur ;
3 certa lege ferox in gyrum flectere novit.
4 Aptius ut nequeat Chiron agitare bimembris :
5 quamvis Emathios superet levis ungula montes.
6 Liligeris nec qui docuit parere lupatis
7 Francigenas, Ludovice, tua Pluvinellus in aula.
8 Dux stat, ut Aeacides medios stetit inter Achivos.
9 Hunc sensit sonipes : tali se pondere jactat
10 altius, et discit gressus glomerare superbos.
11 Nam modo Thessalicos celeratque, iteratque recursus :
12 Bistonio modo saxa volat per inhospita raptu.
13 Transfumant patulae nares : juba sparsa per armos
14 fluctuat ; et tactum vix jam quatit ungula campum.

G2_36 v.1 Sed frenanda prius tibi substernetur arundo,
2 Care Puer ; manibusque pares tradentur habenae,
3 ligneus artificii torno, et de stem mate avito
4 Trojani prognatus equi suffecerit isti
5 Ascanio : parvo nimirum haud Cyllarus impar
6 Polluci ; Xanthusque suo commensus Achilli.
7 Dum tener es, nullaque genas lanugine fuscus :
8 nondum quadrupedes veros et ephippia cures.
9 Hippodromus lectica tuus, parvumque cubile
10 circus erit : potiorque sinus gremiumque parentis,
11 suavius Hassiacaee sedeas genitricis in ulnis,
12 quam corpus quatiante jugo spumantis Iberi.
13 Seria tantisper poppysmata Matris amori,
14 et quae mille tibi complectens basia panget,
15 posthabuisse velis. Veniet robustior aetas :
16 tunc in Bucephalo meditari castra, tubasque
17 Pellaei juvenis, votumque implere licebit.
18 Sed Matrem jam tu mulce, mulcendus et ipse.
19 Ne pudeat limis ridenti alludere ocellis.
20 Neu sint dedecori donata crepundia pupo.

G2_37 v.1 Ut catulus Libycae vasta sub rupe leaenae
2 menstruus, exacti perfectum donec ad unguem
3 unguiculi crescant : et ad annum accesserit annus ;
4 more ferae vulgaris amat cum fratre joculari
5 Gaetulo, pressaque procax lascivit in herba.
6 Nullus in ore furor : nemorum neque proelia curat.
7 At simul excoxit justas calor annuus iras,
8 luxuriantque tori : jam jam venatibus apta,
9 assuescens meminisse sui ; se vellere toto
10 prodit, avosque suos, Massyli belua saltus.
11 Lata patet facies : irrugant nubila frontem.
12 Fulgur inest oculis : micat omnibus Africa membris.
13 Spectat fulva parens, et se miratur in illo.
14 Tu quoque mollis adhuc, quamquam inter gaudia vagis,
15 contendes habiles nervos crescentibus annis.
16 Nec Patris Clypeum, tantaeque insignia gentis
17 incassum rugire sines : ausure per ignes
18 telaque, cognatos majorum aequare Leones.

- G2_38 v.1 O si quam primum melior tibi membra Prometheus
 2 mollia firmarit, solidataque finxerit ossa.
 3 (Spes affligit enim) coram spectare liceret !
 4 Huc Guilielme veni. Tua te Grienavia supplex
 5 invitat voto. Tua te Rorefelda precatur :
 6 huc Puer Ignati. Patri Matrique secundum
 7 Danubius sternet famulans iter ; atque phaselo
 8 submittet dorsum. Jam jam Besithea festas
 9 disposuit frondes, scenaeque innexuit altae.
 10 Libamenta tibi ponent in cespite prima
 11 dissimulata Ceres, personatusque Lyaeus.
 12 Intranti muros festiva tonitrua fecit
 13 jam faber ignipotens : nihil his tamen addidit irae,
 14 terrorisque minus. Nullo terrebere jactu,
 15 huc Guilielme veni. Phariae Pharos aemula turris
 16 Pyramis ardebit duplex, de marmore texto.
 17 Tota coruscabit geminatis Curia scalis :
 18 multifidumque voment lato jubar ore fenestrae,
 19 Italico ritu : qualis Florentia pernox
 20 instruit ; aut cum se reteggit sine sole Siena !
 21 Vestaque Tarpeias vigilans illuminat arces.
 22 Terra feret stellas : caelum splendebit ab armis.
- G2_39 v.1 Huc Puer Ignati : cervos agitabimus omnes.
 2 Fulmineos figent venabula cominus apros.
 3 Exacuunt jam rostra canes, dentesque tremendos :
 4 naribus in praedam, cursuque in vota parati.
 5 Adducentur equi celeres, qui cursibus Austros
 6 praetereant : vastique boves ; ubi truncus et ira
 7 Stant simul : ingentes circum capita ardua gyri.
- G2_40 v.1 Post tibi, si placeat, sistet reale theatrum
 2 cuncta suis elementa locis. Ruet igneus Aether.
 3 Auspiciis praepes signabit milvius auras.
 4 Inque mari medio phocas spectabitur inter
 5 caeruleus Proteus : inter delphinas Arion.
 6 Frugiferae telluris erit producere messem ;
 7 maturare botros ; phialaque offerre racemos.
 8 Sed neque jam scimus, quae non majora supersint !
- G2_41 v.1 Haec inter, dum saepe vocant, clamoribus instant :
 2 huc Guilielme veni. Pariter clamabat et Echo :
 3 huc Guilelme veni. Rursumque iterantibus illis ;
 4 huc Puer Ignati : repetebat molliter Echo ;
 5 huc Puer Ignati. Neque enim locus ille dabat plus
 6 vocis. Simplicitas fuerat tamen ista lepori.
- G2_42 v.1 Hesperus exibat. Fessas sub tecta recepit
 2 prona sua Rorefelda domo : lactisque colostrum
 3 protulit. Hoc sumpto liceat sedare calorem.
 4 Grata magis toto sunt nulla coagula Maio.
 5 Nec mea delicias tales Amaelia spernit.
 6 Sic ait, et pateram spumantem invadit. At Echo,
 7 ultima, quae in fundo resident, exspectat : ut oris
 8 verba quoque. (Ut satis est extremas reddere voces :
 9 sic satis extremos fuerit quoque ducere suctus.)
- G2_43 v.1 Nec minus invadit niveam Grienavia metam :

2 qua vix gustata, commoto lumine et ore
 3 intranssem confessa Deum, sic pallida fatur.
 4 (Jactavitque comas errantes) discite matres
 5 infantes vestros, hoc, inquam, ex lacte ferino,
 6 uberibus propriis infantes discite vestros
 7 lactare, et solitam natis impendere curam.
 8 Vacca suo vitulo lac praebet. Porrigit uber
 9 cerva suo cervo : pullis quoque mater equorum.
 10 Solus Homo teneros foetus quandoque relinquit.
 11 Quos genuit, non semper alit, jam tigride pejor.
 12 Quid facitis matres ? Non hoc evertere jura est !
 13 Cur vobis Natura dedit fecunda mamillas ?
 14 Cur implet reparatque datas ? Si pascere taedet
 15 effusos gremio ! Si dedignatur inanis
 16 fastus, et ignavus formae timor amittendae !
 17 Non vestrum lac est, quo cordis bulga tumescit :
 18 sed prolis, sed Naturae sua jura petentis.
 19 Reddite justitiae, merito quod laesa reposcit.
 20 Denique quo lucro ? Soboles fraudata, parentes
 21 fraudat, et in medio cursu resoluta fatiscit.
 22 Tunc manare truces lacrimae : tunc pectora tundi :
 23 tunc lamenta sequi, vulsique jacere capilli.
 24 Unde malum ? Infantis mors est siculnea nutrix.
 25 Non ea Mater erat. Refert, quo fonte bibatur :
 26 aut cui cisternae sugens mandetur alumnus.
 27 Dic mihi, quas vires decerpit ab ulcere putri ?
 28 Impuro lactens quos ducet ab ubere mores ?
 29 Discet ab irata saevire : petulca ferocem
 30 infundet venerem. Vinum vinosa propinat.
 31 Desidia curvabit iners : obnoxia morbis,
 32 febribus et tussi, multoque cadavere pinget.
 33 Instillabit enim vitium, quo plena redundat.
 34 At tu formosa felix Amaelia prole,
 35 Mater in exemplum fecundis matribus ibis :
 36 ut mea dicta probent : imitandoque ubera pandant.
 37 Vive, vale : similesque tui dent sidera plures.
 38 Dixit : et in faciem subito redit ; atque reponit
 39 inscia turbatos, excusso Numine, crines :
 40 aspectatque suam multum mirata sororem ;
 41 ignorans, quae dixisset. Dicebat Apollo.

G2_44 v.1 Et jam finis erat. Cecini. Deus, ecce, recessit.